Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1911
Quelle:
Copyright:

ſiæ Dei &c. Definit in deſcriptione *publici ritus poenitentiæ*, qui nulla ratione mitior eſt catholico romano.

IV. *fol.* 8. p. 2. Literae *Bern. Ziegler*, *Joh. Pfeffinger* et *Alex. Aleſii* datae *Lipſiae* 12. *Aug.* 1548. *Reverendis et eximijs Viris doctrina virtute et pietate præſtantibus DD. Caſpari Hedioni, M. Bucero et reliquis doctoribus ac miniſtris Euangelii in Eccleſia Domini quæ eſt Argentinæ* &c. Initium: *Accepimus literas ueſtras, Clariſſimi atque Ornatiſſimi, a Domino Doctore Joanne Marbachio, qui nobis expoſuit diligenter, quanto ſtudio cupiatis retinere concordiam* &c. Exponunt ſuum et *Wittebergenſium* votum, *ut edatur publica confeſſio omnium nomine*, et probant *Argentinatum* doctrinam. At vero *Bucerus* altero anno in *Angliam* abiit.

V. *fol.* 10. Dialogus feſtivus ſatiricus inter *Eraſmum* a morte in coelum delatum et *Eliam*, cui ille multa de nova *Lutheri* Doctrina refert, et inter cetera *Lutherum Eliae* nomen in terris uſurpare; unde *Elias* concitatus *Wittebergam* devolat, *Lutherum*que acri perfundit lixivio. Initium: Elias. *Quis nouus hic noſtris ſucceſſit ſedibus Hoſpes?* Eraſmus. *Sum Eraſmus, qui tandem optato veſtro collegio potior.* El. *Et quæ tanta fuit noſtri tibi cauſa videndi?* Eraſm. *Non una ſane, nam vita illa humana multis mihi nominibus grauis erat, primum Seni, hinc calculoſo, tum multa indigna cotidie videnti et toleranti* &c. Atque hinc ad *Lutheri* motus Sermo delabitur. In Scena actum *Dialogum* ultima probant: *Vos ſaltem auditores temporius reſipiſcite et valete.*

CCCCLXXXVI.

Codex chartaceus lat. Scriptus *Serueſtae* anno 1547. Folior. 10. 4. continet *Annotata D. Philip. Melanth. In Epiſtolam Pauli ad Timotheum primam.* Hic tantum in prima IV. *Capita*, quibus ſubjicitur: *Hactenus 18. Martii. Anno 1547. Serveſte.* Succinctiora omnia illius *Enarratione in eandem Epiſtolam*, quae legitur *Opp. Parte IV. Witebergae* 1601. p. 366. f. et multis dictionibus graecis et germanicis interſperſa. Ut ſpecimen dem, ad vocem γνησιῳ C. I. *v.* 2. haec notantur: *Filio Germano. id eſt. incorrupto. ita nos debemus eſſe germani filii Apoſtolorum, debemus ſervare incorruptam doctrinam.* Germanus *a* germen. *inde Germanus* naturlich. *mein naturlicher bruder.* (Id hodie aliud.) *Noſtri germani inde habent nomen quod fuerunt prediti bonis morib. et incorrupti.* Germanus *dunckt mich ſey das wort* herman. *quia fuerunt bellatores. Hermiones fuerunt pars germanorum.* Nihil de his in *Enarrat. ſuprac.* Ad C. III. v. 2. verba: *Unius Uxoris virum*, haec legas: *id eſt. non ſcortatorem, quamuis poteſt intelligi de digamia, quod non liceret eum qui haberet duas* 473